

## PRAEFATIO

theca Bodleiana servantur non ipse contuli—defuit enim et mihi tempus et ipsis dignitas—sed opera usus quam mihi benevolentissime navavit amicus meus F. Madan, Canoniciatum (saec. x), Mentelianum primum (saec. x), Menagianum priorem (saec. xv), Venetum (saec. xv), Dorvillianum (saec. xv), nonnumquam in lucem protraxi. sigla codicum litteris uncialibus scriptorum in prima quaque apparatus critici ineunte linea posui, ut facile animadvertisatur qui textum in quaque pagina exhibitum contineant.

Rem orthographicam ad unam normam (quam praecipit Brambach<sup>1</sup>), quoad potui, revocare studui: quia autem de multis vocabulis ipsi inter se dissentiebant Romani, neque codices aut grammaticorum regulae multum prosunt, necesse est ut suo quisque arbitrio quodammodo utatur, sed religione quadam, ne Quintiliani iudicio damnetur imperitos improbantis qui formas in veteribus libris repertas mutare soleant, et dum librariorum insectari volunt inscientiam, suam confiteantur.

Editorum emendationes quae probabiliores mihi videarentur in apparatu critico enotavi, plerasque autem hariolationes, transpositiones, damnationes neglexi; quas si quaeris, quod ad Aeneida attinet in eo libro invenies quem maxima cura atque scientia abhinc undecim annos edidit P. Deuticke<sup>2</sup>. in editione autem praeclera quam iterum

<sup>1</sup> Non quod totis numeris perfecta mihi videatur, sed quia solus vir doctus orthographiam in artem redegit, citius autem veritas ex errore quam ex confusione emergit. sed etiam recentiorum si quis probabilia praecipere videbatur rationem habui.

<sup>2</sup> *P. Vergili Maronis Aeneis, edidit Th. Ladewig, editionem alteram curavit . . . Paulus Deuticke, 1889.* etiam illi editioni quam curaverunt Ladewig-Schaper multum de suo addidit 1891, 1902, 1904. locos praeterea in usum scholarum delegit 1895. vide etiam quae contulit in den *Jahresberichten des philologischen Vereins zu Berlin* passim.